

DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>O</sup> JVRIDICA,  
DE  
**TRANSMISSIONIS  
ACTORVM JVRE,  
EJVSV ABVSU,**  
*Bom Recht und Mißbrauch der  
Aeten - Verschifung/*

QVAM  
SVB RECTORATV MAGNIFICENTISSIMO,  
REVERENDISSIMI ET ILLVSTRISSIMI DOMINI,  
DOMINI

**PHILIPPI WILHELMI,**  
S.R.I. COMITIS DE BOINEBURG,

SACRAE CÆSAREÆ ATQVE REGIÆ CATHOLICÆ MAJESTATIS CONSILIARI<sup>I</sup> INTIMI,  
NEC NON METROPOLITANARVM ECCLESiarVM, MOGVNTINÆ ET TREVIRENSIS,  
CANONICI CAPITVLARIS SENIORIS, ET RESPECTIVE SVPREMI CHORI - EPISCOPI;  
EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIARI<sup>I</sup> INTIMI, AC  
CIVITATIS TERRITORIQUE ERFFVRTENSIS PRO-PRINCIPIS,

*CONSENTIENTE AMPLISSIMO FCTORVM ORDINE  
SVB PRÆSIDIO*

**DN. TOBIÆ JACOBI Reinhardt/ J.V.D.**

PANDECTAR. PROF. PVBL. ORDIN.

*IN AVDITORIO JVRISCONSULTORVM MAJORI  
DIE XXII. MAI<sup>I</sup> ANNO M DCC XVI.*

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI VENTILANDAM SVBMITTIT

RESPONDENS

**CÆSARIUS HENRICVS Pfister/ BAMBERGENSIS,  
JVR. VTR. CVLT.**

---

*Recusa ERFORDIAE, sumtibus ANDREÆ KNOLLII, 1727.*





# DE TRANSMISSIONIS ACTORVM JVRE, EJVSVE ABVSU

## §. I.



Vamvis non infrequens disputationum vitium sit, in modo in consuetudinem quasi inveteratani ferè transfierit, ut sub praetextu Expositionis Vocabulorum atque Terminorum, ad formam Disputationis cuiusdam redigendæ materiæ, qualiacunque, quæ apud Lexicographos, vel Juridicorum Compendiorum Autores reperiuntur, de omnibus & singulis rubricæ Vocabulis, sine selectu, an ad præsentem causæ statum pertineant vel non, ad supplenda saltem paginarum spatia consarcinentur; vix tamen bona, quantumvis arbitrariæ, methodi regulæ permittent, ut, antequam quis ipsius Rei tractationem aggrediatur, istarum præsertim vocum explicationem omnino negligat, in quibus vel notabilis obscuritas conspicitur, vel ambiguitas deprehenditur. Sicut enim in nostrâ de *Transmissionis Actorum Jure & Abusus Rubricâ*, tâni de vocabulis *Transmissionis*, quam *Actorum*, non pauca de vario istorum significatu & denominazione apponi possent. Ita, ne in idem paulo memoratum incidamus vitium, istoru[m] saltem, quæ ad majorem

præsentis materia illustrationem pertinere videbuntur, ea, qua unquam brevitate fieri potest, nunc meminerimus.

## §. II.

*Actorum vox duplicitem potissimum habet significandi modum : Vel enim ipsum *Judiciale Protocolum* denotant, quod consistit in literis, ista præcipue complectentibus, quæ à partibus vel judice oretenus in Judicio proponuntur, e.g. das *Regierungs-, Gerichts-, eder Raths-Protocol*, nec non, die *Gerichts-, Handels- und Hypotheken-Bütt er*; In quo Significatu tam *Testamenta*, quam *Donationes*, & *adoptions*, cum reliquis ferè omnibus voluntariæ jurisdictionis Actibus, apud *Acta* fieri, i.e. coram judice expediri, ejusvè jussu & Autoritate *Protocollo judiciali* insinuari, §. 2. *Inst. de Donat.* ac propterea monumenta, nec non *gesta publica* dicuntur. L. 35. §. 3. & L. 36. §. 3. C. cod. At in sensu paulo presiori, magisvè frequentiori, pro Complexu omnium scripturarum, à partibus judici exhibitarum, ceterarumvè ad causam controversam pertinentium accipiuntur, atque describuntur : quod snt *scripturae à partibus in judicio legitimè exhibitæ, atque Judicis jussu ab Actuario de causis civilibus & criminalibus memoriae & probationis ergo solenniter confectæ*.*

## §. III.

Eo autem ipso, quo per *scripturas Acta descriptissimus*, statim apparet: quod uterque *Actorum significatus* in præcedente Paragrapho memoratus huc pertineat, reliqua verò, quæ in judicio oretenus saltem proponuntur, *Protocollis* tamen non inseruntur, in sensu nostræ *Rubricæ* accommodo *Actorum nomine* non veniant; utut alias negari non possit, ejusmodi quoque orales *Propositio-*nes à partibus hinc inde factas, quod in causis summaris non infrequens & in brevioribus necessarium, juxta *Andr. Gail. L. 1. obs. 34. n. 18.* præsertim si judicis deciso accesserit, in Sensu laxiori *Acta* dici posse. A Partibus porro in judicio legitimè exhibitas ejusmodi *scripturas esse oportet*. Quæcumque enim *scriptura à partibus in judicio non exhibita, vel exhibita quidem, sed non legitimè, torsan, quod parti*

parti non sit communicata, pro parte Actorum haberi non potest. Partis siquidem multum interest, ne actis addatur, de quibus ipsis non constat, arg. *L. de uno quoque 47. ff. de Re Jud.* Hinc recte, pro Appellatione aliam editionem Actorum non esse necessariam, quām quā sunt prioris Instantiā, ita, ut in iis omissum pro parte Actorum non sit habendum, decisum est apud *Mev. P. II. Dec. 204. n. 2. & Gail. L. I. Obs. 134. n. 15.* Neque Notariorum Acta seu Protocolla, ut talia, huc spectant, cum non exhibeantur in judicio, sed potissimum in rei gestæ fidem, ut exinde instrumenta fiant, simpliciter conficiantur. *Lauterb. in Compend. Tit. de fid. Instrum. p. 42b.*

## §. IV.

*Jussum Judicis* in Actorum descriptione propterea desideravimus, quia absque hoc omni valore & robore destituantur. *Berlich. P. I. Concl. 8. n. 22. & 23.* ubi tamen non præcisè specialis requiritur, sed generalis & præsumtivus sufficit, qui ex ipsis præsentia & Actuarii constitutione colligitur. *Idem c. l. n. 23. Wunsch. tr. de Actis Cap. 3. §. 1. n. 2. & Cap. 5. n. 7.* Hinc soli Actuario Acta pro lubitu formare, istisque quid addere vel detrahere, præsertim in decretis & Resolutionibus, quā non nisi ex ore judicis promanere debent & possunt, vix indulgetur. Neque insinuationes Productorum Nunciorumve Relationes absque præsumito jussu judicis ad Acta ab Actuario expedientur, atque in omnibus Actuarii jurati negotiis, nisi probetur Contrarium, adfuisse præsumitur, quod tamen secus in Actuario non jurato, der zum Actuariat absonderlich nicht verpflichtet, nisi simul Notarii Publici fungatur officio, id quod non quidem in Secretariis principalibus, juxta Schilter. *de Secretar. Cap. 4. circa fin. bene* tamē in inferiorum Jūdicatorum Actuariis, præsenter in foris Saxonicas, de necessitate esse ex *Carpz. Proc. 2. 4. 52. & Dec. 201.* constat. Neque econtrario a solo Judge absque Actuario Acta conscripta subsistunt, sed Nullitas vitium incurunt, cum Judex ad dirigendum Processum, cognoscendum & deci-

dendum, neutiquam verò ad conficienda acta & conscribenda juramento obstrictus sit, nisi Consuetudo cuiusdam Judicij adsit in Contrarium, Carpov. d. Dec. 201. n.<sup>o</sup> 15. prout de Praefecturā Territorii Eissiurenis Mühlbergensi constat, ubi Praefectus & cognoscit & decidit, & Actuarii partes sine omni Exceptione juxta continuam observantiam subit. Extra autem ejusmodi judicialem observantiam solius judicis vel consulis Registraturam non probare, sed ad minimum juramento confirmandam, ac ita à Lipsiensibus Anno 1652. prohunciatum esse, testatur, supra allegatus Schilter. de Secretar. Cap. 2.

## §. V.

Causa Actorum finalis per verba descriptionis nostræ: *Memorie scil. & Probationis ergo, exprimitur, sicut enim ab initio vivâ voce sine scriptis lites & judicia habebantur, ita necessitas ex postfacto flagitavit, ut ea, quæ in judicio agerentur, in scriptis annotarentur, postquam scil. dictæ lites & frequentiores & diuturniores hominum malitia & pertinaciæ esse cœperunt, nec judices ipsi, nec partes litigantes suæ soli fidere memoria voluerunt. Hinc Acta lux, dux & vehiculum veluti ad veritatem, quibus non inspectis, judex nihil in præjudicium cujusquam decernere debet, recte appellantur apud Mevium P. 2. Dec. 146. num. 1. & Notorium & liquidum inducere dicuntur, apud Gail. L. 1. Observ. 134. num. 15. § 1b. vid. Cap. olim ibique D. I. X. de verb. signif. nec non præsumptionem pro se tantam habere, ut omnia robur & fidem habeant, juxta Mev. P. 2. Dec. 207.*

## §. VI.

Atque hæc de Actorum significatione brevibus dicta sufficiant, nunc de istorum cœventionibus eatenus tamen saltem, quatenus scopo nostro convenient, quadam præmonenda sunt. Alia enim *Acta publica*, alia *Privata*, alia *Civilia*, alia *Criminaria*, hæcque vel *Accusatoria* vel *Inquisitoria*, alia *originalia* alia *Copialia* & alia denique *prima*, alia *secunda* & *tertioris* dicuntur *Instantie*. *Publica* sunt, quæ ab Actuario vel persona publica ad hoc specialiter juramento obstricta in

in formam publicam solenniter redacta, ac loco judicii asservata. *Privata*, quæ vel à parte, Advocato vel Procuratore causæ proprii usus gratia sunt collecta. *Civilia*, quæ in causis Civilibus & Criminaliis, quæ in causis Criminalibus sunt confecta, atque si judex per modum accusatoris procedat, Acta *Accusatoria*, sive per modum Inquisitoris, *Inquisitoria* vocantur.

## §. VII.

Consideratis ita Actis in quo nunc Jus ista transmitendi propriè consistat, est dispiciendum. Ubi notandum: istud nihil aliud esse, quam *Jus per Consuetudinem introductum, insinuandi Acta Collegio cuidam Juridico, à partibus non exempto, huc fine: ut secundum ista pro Conveniente honora-rio juri & facto Conformem sententiam ferat.*

## §. VIII.

Hic statim premonendum: Transmissionem Actorum duplicis potissimum esse generis. Vel *privatam & minus solennem vel solennem & publicam*. At istam referimus casum, quo pars ad sui saltēm particularem informationem, vel facti nudam speciem, vel Acta privata Collegio cuidam juridico proprio motu propterea insinuat, ut ipsam, quid de praesenti causæ statu in puncto juris statuendum, vel in fine sperandum sit, vel *Consilio vel Responso certiore* reddat; Id quod quoque à Judice ad sui saltēm informationem, quomodo scil. ab ipso in causâ procedendum sit, fieri potest. Ejusmodi privata & minus solennis Actorum Transmissio hoc quidem operatur, ut Judex Responsum vel Consilium Ictorum sequens, ab Actione ad Interesse, quasi litem suam fecerit, aut Injuriarum Actione omnino liberetur, *Fransk. ad ff. de orig. Jur. n. f.* pars vero, licet causâ cadat, à condemnatione in expensas absolvatur, *Gail. L. i. Observ. 152. n. b. arg. L. Eum qui temere 79. ff. de Ju- dic. modo uterque omnes & singulas facti species judici respondendi aperuerit, nec ipsum per suggestionem falsi vel reticentiam veri seduxerit. Judicem tamen, ut illa se- quatur, nullatenus stringunt, per Rec. Imper. nov. de Anno*

1654.

1654. §. 96. ibi: Solche Consilia sollen weder in referendo, noch votando Ziel oder Maß geben.

### §. IX.

At verò *solennis* Actorum Transmissio à Judice solo hoc fine peragitur, ut juxta Acta originalia judicij publica, quid facto & juri conforme sit, per modum decisionis & sententiae, quasi ab ipso judice Acta transmittente pronunciatum esset, pronunciet; Atque adeò stringunt judicem, ut, quasi ab ipso provenient, ab iisdem recedere non possit, sed, prout lata, publicare teneatur, ita tamen, ut relinquatur, parti, propter gravamina illata, appellandi potestas Blum. in Proc. Camer. tit. 46. num. 20. quæ Appellatio, si non sit interposita, utique efficit, ut ejusmodi JCtorum decisio vires rei judicatæ accipiat. Carpz. P. I. Conf. 26. def. 2. Add. Tabor de Tort. p. m. 190. §. 9.

### §. X.

Sicut itaque non de privata & minus *solenni*, sed de *solenni* & *publica* Transmissionis Actorum specie hic loquimur; Ita istam recte per Beneficium descripsimus. Lex enim vel præceptum regulariter non adest, unde vel judex vel pars nolens volens ad istius usum indifferenter adstringitur, quin potius, cum in utriusque favorem introductum sit, ipsorum arbitrio, an isto uti velint vel non? simpliciter & regulariter relinquitur, adeo ut neque judex partem invitam, ut acta, proferendâ sententiâ, transmittantur, cogere possit. Quid enim hoc aliud esset, quam vel propriæ ignorantiae vel ignaviae existere proditorem, atque negligere verum judicandi officium, ac denique magnis & supervacaneis partium expensis, aliunde emendicare, quid justum vel injustum, quidve in causâ tandem statuendum sit? Emendicatam ejusmodi justitiae administrationem suo jam tûm seculo abhorrens Justinianus in Nov. 82. pr. sequentibus detestatur. Illi autem, inquit, neque cingulum habentes, neque nobis ministrantes, nisi potuerint per se nosse, quid justum est, sed aliunde emendicare judicandi honestatem, quomodo non maximum vitium erit reipublica,

*non*

*non eis, qui ex se, quid agendum sit, sciant, lites tradere, sed finere eos, querere alios, à quibus licet discere, que ipsos in judicando eloqui decet.*

### §. XI.

Neque partes judicem ex eadem ratione, ne ipse pronunciet, sed Acta ad Extraneos ad decidendum transmittat, invitum obstringere possunt; Judex enim ad cognoscendum saltem, decidendum, & pronunciandum judicio est præpositus, adeoque officii ejus postulat ratio, ut in minimis quoque ejus partibus ipsi satisfaciat, nec partium quibuscumque iniquis & irrationabilibus multo soepius petitis ad nutum annuat. Iniquum quoque esset: partes ad transmissionem Actorum à Judice cogi non posse, hunc vero à partibus posse.

### §. XII.

Ex quo colligimus: quod judex transmissionem Actorum à parte petitam renuens, regulariter neutquam peccet, nec turpiter faciat. Nam utut Rennemannus *Tr. de Transmiss. Actor. Cap. III. §. 8. lit. C.* contrarium asserat, in sequentibus verbis: *Licet judex præcisè ad placitum se partium ut conformet, cogi non possit, si tamen melius & honestius facit, cum huic petitioni partium dat locum, ut censet Schrader. d. l. n. 74. & 76. certe, si recusaverit Transmissionem, male & in honestè vel turpiter quid egisse, censeri debet; ejus tamen opinio ex hoc solo sublistere neguit, quod Judex Transmissionem partibus denegans, ipse sententiationatus, nil nisi suo utatur jure & potestate à Lege vel Principe concessâ, ac per consequens partibus non faciat injuriam; Quicunque enim Jure suo utitur, nemini facit injuriam. Quomodo ergo judex duni officio suo satisfacere desiderat, turpitudinis notam incurrere potest? Certe Rennemanni consequentia, quod judex in transmissionem à parte quæsitam non consentiens eo ipso male & turpiter faciat, dum melius & honestius fecisset, si partium petitis annuisset, infirma est, parumque vel nihil concludit. Non inter melius agere & turpiter agere, utique darur medium ac liberius spatiū,*

ciūm, bene scilicet agere, adeò, ut istud, quod factum est,  
vel fieri possit, laudabile sit & honestum, & tamen sine  
turpitudine omitti queat.

### §. XIII.

Nec est, quod dicas: sic incurrere judicem in suspi-  
cionem partialitatis, qui Transmissionem Actorum peti-  
tam litigantibus denegat, cum videatur, se per vim quasi  
ingerere pronunciandi muneri, quod tamen bona cum  
gratiā declinare potuisse? Nam respondeo; istam par-  
tialitatis suspicionem, si præsertim absque certa & demon-  
strata vel alias notoria causæ allegatione fiat, attentionem  
vix mereri; Quid enim ad cordatum justumque judicem,  
qui officii sui observat limites, non fundatæ partium suspi-  
ciones? Has si velit semper respicere, ac eapropter officii  
sui partes suspendere, nihil tandem, nisi umbram judicis  
retineret, ac potius nutui partium multo sapienter irratio-  
nabili stupidove stare deberet. Nihil ut experientia docet;  
in judicio fere peragitur, quod non à parte, quæ se gra-  
vatam putat, vel ejus Advocato inexperte, suspectum  
estimator, nemo tamen affirmabit, ipsi ea propter ab acti-  
bus suis judicialibus desistendum esse; Neque dici potest,  
judicem, ea, quæ sui sunt officii, peragentem, alienis nego-  
tiis per vim se ingerere.

### §. XIV.

Ex dictis itaque fluunt, Transmissionis actorum bene-  
ficium regulariter tunc habere locum, quando & judec &  
pars in illud consentiente. Hinc recte Rennemannus for-  
mam dicti beneficij intrinsecam in mujuo judicis & par-  
tium Consensu consistere, statuit, dicto rr. Cap. IV. §. 3. &  
21. cui quoque adstipulatur Dn. de Lyncker P. II. Resp. 153.  
n. 2. Expressus tamen & verus non semper requiritur,  
sed tacitus quoque & præsumitus sufficit, qui ex omissa al-  
terutrius contradictione contra Transmissionem satabun-  
de colligitur.

### §. XV.

Quando igitur Judex vel partium petito non contra-  
dixit,

dixit, vel expresse in Transmissionem consensit, ex quasi quādam Conventione ad transmittendum invitus adstringitur, idque multò magis, si Transmissionem semel decrevit, atque hoc respectu dictam Transmissionem de jure partium esse recte statuit Dn. de Lynk. *super allegatā P. II.*  
*Refp. 153. n. 1.*

### §. XVI.

Descendit autem dictum Transmissionis Beneficiū ex merā consuetudine plororumque locorum Germaniæ, de quā testimonia omni exceptione majora apud Doctores non solum passim prostant, vid. Rennem. *dict. tr. Cap. II. §. 18. & Mev. P. III. Dec. 40. n. 1.* sed quoque ipsa notorietas & experientia satabunde docent. In uno tamen Germaniæ loco frequentius & usitatius est, quam in altero, prout suo tempore de Judicio Erfurtenſi Moguntino cōquestus est ſaþe laudatus JCtus Rennemannus, citato loco, quod iſtud adeò rigidum fuerit, ut ne quidem partium alterutri ſollicitè petenti hoc beneficium concedere voluerit, niſi in cauſis criminalibus; quaīvis verum funda mentum hujus querelæ propterea non appareat, quod dictum Judicium Transmissionem partibus denegando remanerit ſaltē in Regulā ſupra allegatā: Quod Judex ad transmitenda acta invitus cogi non poffit, ſed ipſe, partibus, utut diſſentientibus, pronunciare valeat. Imò ex dictis Dicasterii libris Sententiārum, quos die Urthels. Bū ßet, vocare ſolent Contrarium obſervatum, Actorumque transmissionem non ita diſſiculter confeſſam fuiffe, ex iſplarum perluſtratione ſat abunde conſtat.

### §. XVII.

Dantur tamen quam maximè Casus, ubi Judex nolens volens à Pronunciando abſtinerē & Acta ad impariales extraneos JCtos transmittere tenetur. Puta, ſi vel Consuetudine vel Lege id ſit praeceptum, vel partibus indultum, vel alia denique ſufficiens ratio hoc urgeat.

## §. XVIII.

**S**i enim constante consuetudine Acta ad instantiam partium, ut ut non omnium, sed saltem alterutrius, fuerunt transmissa, nec unquam judicis dissensus attentus, vel hic plane non dissentierit, quin & imposterum idem observari debeat, nullum est dubium. Consuetudo enim cum lege eandem vim ac robur habet, nec minus ac Lex observari debet, L. 32. § 35. ff. de Legib. Idem quoque de Judice obtinet, qui invitis partibus acta transmittit, nec ipsorum contradictioni unquam acquievit; modo (1) tot intercesserunt actus, quibus ad notitiam supremæ potestatis territorialis ejusmodi observantia judicialis pervenerit, aut pervenire, atque hac (2) istam impeditre potuerit, nec tamen (3) impediverit neque contradixerit, tum enim tacite quasi jussisse videtur, ut, quod observatum in hic actibus, in simillimis itidem observetur. — Eleganter in hanc rem Icti Hermogeniani in supra allegata Lege 35. ff. de LL. quadrat decisio: sed § ea, inquit, que longa Confuetudine comprobata sunt, ac per annos plurimos observata, velut tacita Civium Conventione, non minus, quam ea, que scripta sunt jura, servantur.

## §. XIX.

**A**tque in Saxoniâ non solum, sed Thuringia quoque, Terrisque Brunsvicensibus & Westphalicis aliis ejusmodi consuetudinem obtinere, quotidiana docet experientia. Imo, quod in Thuringia Metropoli Erfordia, adiacenteque Territorio idem in usu fuerit, ipse sacratissimus Legislator Moguntinus, omni exceptione majus, in peculiari circa hanc materiam ad Electorale ejus Regimen Erfurthense clementissime emissio Rescripto, *de dato Maynè, den 19. Decembr. 1705.* subministravit testimonium: Lotharius Franz von Göttes Gnaden ic. ic. Uns ist mit mehrern gehorsamst referirt worden: Was für Inconvenientien und Missbräuche, aus denen bisher so indifferenter in usu gewesenen transmissionibus Actorum ad impartialies bei unsfern Erfurthischen Gerichten nach und nach eingeschlichen ic. quam pri-

primum enim pars Transmissionem Actorum vel tacite & per indirectum saltem urserit, non proni saltem sunt judices ad transmittendum, sed quoque tenentur, quo spectat ista in conclusione causæ à Practicis præsertim Saxonice adhiberi consueta formula: *Zum Urtheil beschließen, ad distinctionem alterius formulæ: Zum Bescheid beschließen / illa enim, si fuerit adhibita, Judicii ut à pronunciando abstineat, actaque transmittat, statim incumbit;* In hâc verò non idem obtinet.

## §. XX.

Hinc quoque evenit, quod Judex Transmissionem ad Jctorum Collegium petitam denegans, gravare in tantum partem dicatur, ut Appellatio propterea sit recipienda. Mev. P. III. Dec. 335. n. i. ac ipse pro suspecto, nec non rejeccio petiti pro iniquâ habeatur, eleganter idem Mevius P. III. Dec. 40. n. i. hoc ipsum confirmat: *In Germania, inquit, vetus Consuetudo sic servat, ut Acta è Judiciis ad Academias vel Scabinatus mittantur, & è Collegiis Jctorum, qua ibi sunt, & de Jure Respondendi facultatem obtainuerunt, Sententie super litis petantur. Ex istâ postea libertatis communis factum, ut non tantum judicibus, si ipsin et aut nolint, aut non possint sententiam concipere, hunc ab ipsis petere integrum sit, sed & partibus rogare, ut transmittantur. Quod negare suspectum facit judicem, ac idē rejectionem petiti iniquam.*

## §. XXI.

Sed quid obtinebit: si non obstante petita Transmissione judex ipse pronunciet, an propterea Sententia nulla, vel ad minimum ex hâc solo appellatio recipienda? Negativè respondeatur, si sententia alias in meritis causæ est justa, id est, tâm Actis quam juri conformis. Hoc enim casu pars succumbens suum ex onnissâ Transmissione laxum interesse demonstrare non potest, adeoque destituitur contra Sententiam gravamine, quod tamen unica Appellationis causa est. Quicunque enim non est gravatus, non appellat, nec appellans audiendus, Mev. P. IV. Dec. 335.

fecus ergo esset, si pars, quid ipsius ex factâ Transmissione interfuerisset, reverâ docere possit, e. gr. si causa decisio ex ambiguâ juris quæstione dependisset, parsque certò scivisset, ad contrariam sententiam inclinare judicem, ac propterea Transmissionem petiisset, judex verò, h̄c non obstante, pro suâ opinione pronunciasset, certe non dubitandum, quin Appellatio sit recipienda, ad hoc: ut Acta in priori Instâniâ cum rejectione lata sententia noyiter sint transmittenda.

## §. XXII.

Idem porro, quod de contraria ejusmodi consuetudine, Actorum Transmissionem præcipiente dictum, obtinet, quando Lege quâdam expressâ Transmissiones specialiter jubentur. Sic in causis criminalibus, ut Acta ad collegium extraneum transmittantur, non per modum consilii, sed præcepti judicibus passim injunctum legitur, in Constitutione Criminali Caroli Vti, à quâ tanquam Legi Imperii Romano-Germanici universalî ne ad unguem quidem est recedendum, nec quicquam arbitrii proprii in definiendis pœnis & judicandis causis criminalibus Magistratibus & Judicibus inferioribus relinquendum. Apponi merentur ipsissima Caroli verba Art. 2.º. Wo aber die Obrigkeit ex officio und von Amts wegen, wider einen Mühsandler mit peinlicher Anklage oder Handlung vollzuföhre, so sollen die Richter, wo ihnen Zweifel zufallen, bei den nächsten hohen Schulen, Städten, Communen oder andern Rechts-Verständnissen, da sie den Unterricht mit den wenigsten Kosten zu erlangen vermeinen, Rath zu suchen, schuldig seyn. Confer. Art. 91. 133. 147. 153. 163. dictæ Carolinae.

## §. XXIII.

Neque sine prægnantibus rationibus Caroium V. cum Imperii statibus caularum criminalium decisiones Dicasteriis ac J. Ctorum Collegiis reliquise, ac ordinarii judicis pronunciationem tam serio & tot prohibuisse vicibus, ex eo constat, quod teste experientia, sapissime judices tales non sint,

sint, quales esse debeant. Hic vel jurium cognitione vel experientia & praxi, vel judicio omnino destituitur, rerumque criminalium omnino expers deprehenditur, qui, ut loquitur Carpzovius in *Pr. Crim. Quæst.* 116. n. 18. sape denunciationi cuiusdam Nebulonis aut Veneficæ fidentes, imò extorquentes tam foeminas, quam masculos etiam innocentes in squalidissimos Carceres detrudunt, ubi tam diu cruciantur, torquentur, ac detinentur, ut malint ea fateri, quæ nunquam fecerint, imò mortem lubentius sibi consensere, quam foetorem carcerum subterraneorum perterre. Alius deinde judex raptu quoddam intempestivæ misericordia ad hoc adducitur, ut ex cerebrinâ quâdam aquitate sceleratissimum delinquentem vel planè non, vel ita puniat, ut non magnum indè incommodura vel dolorem sentiat. Alii econtra tantâ crudelitate & intolerabili impetu in miserrimos inquisitos scèpè ruunt, ut omnes juris terminos approbatosque mores excedentes, antequam in causa cognoscere inceperunt, iam tunc pœnam determinarunt, atque hunc niactândo, alterum mancum reddendo, inviolabilem alias Legum sanctitatem pessimè violant, atque humanam societatem evertunt, Carnificum, non Judicium nomine digni. Quis porro nescit, inexpiablem fere apud nonnullos habendi Cupidinem? ut taceam alias passiones, quibus erga miserum ejusmodi Inquisitum communiter afficiuntur.

## §. XXIV.

Accedit porro, quod etsi quoque à Viro prudente, rerumque criminalium non ignaro, judicandi munus suffineretur, vix tamen extra perticulum foret, decisionem causæ criminalis, tam maximi momenti, undè & fama & vita hominis pendet, unius judicio & discretioni relinquere. Experiencia quotidiana testatur, quantæ difficultates ex actis inquisitionalibus propter infinitas ferè concurrentes circumstantias, quarum minima observari debet, obveniant. Casus contingens multò scèpius anceps, dubius, ambiguus & obscurus est, ac propterea levi, ut ajunt

brachio, neutiquam tractandus, sed cum singulari & maximâ prudentiâ & circuinspectione consideratâ & rerum & personarum qualitate attendendus. Cum autem id ipsum non unius, sed plurimum animorum motus requirat, juxta Corthmanum *Resp. 15. n. 223. Vol. I.* qui propterea ad Exemplum celeberrimorum JCTorum *Pauli Caffrensis, Angeli, Ludovici Bolognini*, aliorumve, de pœna Criminis cujusdam Consultus, præcisè eam definire noluit; Hinc omnium optimè, ut Acta Collegiis Juridicis ad pronunciandum transmittantur, ab Imperatore ac Imperii statibus fuit conclusum.

### §. XXV.

Hoc tamen certum, quod modo dictum de transmittendis Actis præceptum Carolinum ad Judicia superiora & Dicasteria subalterna, quæ JCTis & pluribus Assessoribus tam scientia Juris, quam rerum criminalium experientia præclaris gaudent, neutiquam pertineat. In his enim par omnino ac in Collegiis Juridicis ac scabinatibus præsumitur causæ fieri deliberatio, cessatque in iis potissima Carolinae modo dictæ legis ratio. Nec obstat: ibidem generaliter fieri mentionem: der Obrigkeit, item der Richter, nec non: das Sie sich Raths erhöhlen sollen. Nam Respondetur: Verbum generale: Der Richter, nec non die Obrigkeit ad rationem legis esse restringendam, hanc si aspicimus, de solis inferioribus judiciis, Assessoribus & JCTis non munitis, Carolum loqui, statim appetet; præsertim, quia judices & Magistratus à Dicasteriis Superioribus Consilium petere jubeatur, in verbis: So sollen alle wege die Gericht, so in ihren peinlichen Processen, Gerichtsübungen und Urtheilen, darinnen ihnen Zweifel beyfiel, bei Ihren Oberhöfen/ Da sie aus alten verjährten Gebrauch bishero Unterricht gegehret, ihren Rath zu suchen schuldig seyn.

### §. XXVI.

Neque porro dicta sanctio Carolina ad Acta super criminis leviore ventilata, cuius pœna neque Capitalis, neque corporis afflictiva esse potest, pertinet, super his Judiciis vel

vel Magistratui inferiori, experientiam, & quod præsumitur, rerum cognitionem habenti cognoscere, ac pro re natâ vel relegationem vel pecuniariam pœnam irrequisito Collegio Juridico dictare, eò minus prohibitum, quo certius : Allegata Carolina loca tantummodo de causis criminalibus, ad pœnam supplici ultimi & afflictionem corporis tendentibus, esse exaudienda, quod tamen ita intelligendum, si pars Transmissionem Actorem non Specialiter urgeat ; Conf. Carpz. Pr. Crim. P. III. Qu. 116. n. 27. & 28.

### §. XXVII.

Forum Saxonicum cum Communi quoad Transmissionem Actorum in Criminalibus omnino convenit, ut nec ibide pronunciandi potestas relinquatur judici, sed transmissione, nullibi tamen aliter quam ad Scabinatum Lipsiensem vel Dicasterium Wittenbergense fieri debeat, ita quidem, ut hoc omisso sententia ex capite Nullitatis impugnari possit. Oldek. *Observ. crim. 7. num. 11.*

### §. XXVIII.

Cœterum alia quoque sufficiens ratio, ut §. XVII. minimus, præter Legem vel Consuetudinem adesse poterit, quæ Transmissionem necessario urgeat ; Inter quas referendus casus, quo in judicio tanta Votorum super casu Controverso adest incompatibilitas, ut, quod interdum contingit, ad certum conclusum non sit reducibilis ; Vel, quod ad idem recidit, si paria pro utrâque parte se reprælentent Vota, aut quoque casus Controversus ipsius Judicis captum excedat, quo casu, parte quoque non pertente, ex sola Conscientiaz vi à pronunciando abstinere, Actaque Transmittere debet, ne per ignorantiam suam male judicando fortasse loedat partem. Huc quoque spectat casus, quod judex ex Causa habet Interesse, vel alterutrius partis Consanguineus sit vel Affinis, parsque adversa ex hoc Capite Transmissionem urgeat. Certè in his omnibus & similibus Casibus absque suspicionis, imò turpitudinis notâ, vix Judex transmissionem Actorum evitare,

multòque minus parti denegare poterit, quin potius, si nihilominus pronunciat, nullitatem committit; Mev. P. 5. Dec. 109. num. 6. proinde evenit, ut neque Judex, cuius Sententia, vel Leuteratione vel Remedio Nullitatis Impugnatur, vix noviter super Actis Leuterationis vel Nullitatis ipse pronunciare possit, sed potius transmittere acta debet, si præsertim partes istam petierint, quâ tamen petitione de Jure Saxonico, quoad Leuterationem, nequidem opus est, postquam mos Saxoniz à Judice quoque irrequilito transmissionem dicto in casu exigat.

### §. XXIX.

Transmissione concessâ, partibus quoque Jus protstanti contra certa Collegia competit. Contingere enim potest, ut vel actori vel Reo hoc vel illud in pronunciando suspectum sit, quod ex variis causis evenit, e. g. si hac vel illa Facultas pro alterius favore Consilium vel Responsum dederit, aut in quodam Collegio adversa partis Confanguineus vel Affinis Assessoris, imo Præsidis & Directoris vices sustineat, vel totum Collegium Contraria Sententia addictum & quæstio ventilata in puncto quodam juris controverso acquiescat, multòque magis, si ab istâ Facultate in hac Causâ per modum sententia jam tum pronunciatum sit. Hinc, ne Acta secunda Instantia denuo ad istud Collegium transmittantur, quod pronunciavit in priori Instantia, & pars, & Judex ex officio præcavere & debet & solet. Confer. Ordinat. Elector. Saxon. de Appellat. de Anno 1605. Et utut partibus certa Collegia Judici ad transmissionem denominare, non prohibeatur; hic tamen, ut ibidem præcisè Transmittantur, cogi non potest, sed transmissionem ad Collegium non exemptum expediri, sufficit; quâ factâ Actisque remissis, sigillise utrinque recognitis, Sententia Concepta publicatur, quam, ac si ab ipso judice pronunciata esset, idem habere robur supra jam tum probavimus.

### §. XXX.

## §. XXX.

Supereft nunc, ut de Uſu & Commodoſis Transmiſſio-  
niſis ejuſve Abuſu paucā quādam addamus. Uſuſ & Com-  
modo ex parte judicis in eo conſiſtunt, quod Juſdex in  
caſu obſcuero, imo muſto ſcēpius iſpicioſ captum exceden-  
te, in pronunciando ſit ſecurus, ſequē ab omni ſuſpicioſe  
partialitatis liberet; Neque de eventu ſententiæ extraneæ  
unquām reſpoſdet, odiuſque partiſ, quod timet bellō  
mođo declinat, atque, quod in auium, egregie imperiſe  
& in firmitati ſuæ interdum conſulit. In tanta proſectō  
incidiimus tempora, ut iſti, qui juſdicandi munere fungun-  
tur, nil minus ſoſpe ſint, quām juſdices, verum juſdicandi  
officiū omnino ignoranteſ; Acta ad iſtaſ vacce novam  
portam, reſpiciunt, in quo ſtatuſ cauſa confiſtat, plane  
neſciī; Hi certē, niſi transmissioniſ beneficio adjuva-  
reſ, & pro ſe & pro partibus forent in feliciffimi.

## §. XXXI.

Quomodo porro totis Collegiis ab varietateſ Voto-  
rum omninoſ diſſentientib⁹, vel de Decisione dubitanti-  
bus aliter quam per Transmissioniſ Actorum benefi-  
ciū Consuli poterit? Non raro quoque accidit, ut integrum  
quoddam Dicaſterium vel iſtius Praeſes & Director inter-  
elle ex cauſa habeat, acta quam maximē tunc transmi-  
tenda eſſe, neſco dubitat.

## §. XXXII.

Partibus id retundat inde utilitatis, ut certō certius  
ſcient, abſque ullo partialitatis affectu ſententiā latum  
iri, vel latam eſſe; neque habent quod gratiam vel odi-  
um juſdicis vereantur, vid. eleganter Dn. Ziegler in *Dicaſteria Concl. 32. §. 17.* Rationes Decidendi & Dubitandi ſen-  
tentiis Facultatum ac Scabinatuū annectuntur, ex quarum  
Communicatione, in his praefertim Terris nemini dene-  
gandā, ſtatim an cedere debeant, an porro Contendere,  
cum fundamento informantur; Impendia, quæ requirit

Transmissio, eo minus econtra sunt consideranda, postquam sunt exigua admodum, ac ut plurimum tam probe fundata sententia digna. Neque mora & ambiges Transmissionis beneficio revera obfunt, cum quotidiana doceat Experientia, ordinarium judicem vel aliis innumeris laboribus & officiis obrutum vel ex sua, quam assuetus comoditate, aut interdum ignorantia, longe maiores in concipienda sententiâ nectere moras, quibus lis in longius ferè, quam per Transmissionem fieri posset, protrahitur tempus. Si denique dicas: Ex sententiis exteris propter ignorantiam Statutorum morunive localium multas oriuntur exorbitantias, quæ apud judicem Incolam non expectandas, statim reponitur: Omissam Statutorum ad Acta translationem non judici, sed parti imputandam. Hac sibi imputet, quod Acta manca Collegio extraneo transmiserit, quod ultra acta sententionare neque potest neque tenetur.

### §. XXXIII.

Sicut autem nulla ferè res in Republicâ, quæ suos veros agnoscit usus, existit, quæ non in abusus successive defletere possit, ita eadem nostrum Transmissionis beneficium fata experta est. Sic magnus ejusdem abusus est, si in quibusvis etiam minimæ Considerationis Causis sine selectu ex officio acta Transmittuntur. Idem quoque obtinet, si in Casibus indubitate ac luce meridianâ clarioribus Extraneos Judex Consulit; quem nam quasdam ejusmodi Transmissionis abusus alium producere potest effectum, quam quod partes sine Causâ sumptus perdant, tempusque frustra Consumant, cum sine morâ & expensis decisionem quoque Causâ cetera Transmissionem obtinere possint. Refragatur hoc ipsum Transmissionis actorum fini, qui in eo consistit, ut partes non solum impartialiter, sed quoque minus sumtuosam & si causa materia hoc suadeat, ciuiorem impetrare possit justitiae administrationem. Probe tamen hic erit dispiciendum, an causa obveniens

veniens pro minimâ & parva, atque indubitate sit habenda vel non? Sicut enini multa dicuntur clara & notoria, quæ tamen non sunt, *Cap. 14. X. de Appellat.* Ita quoque res, quæ in se minima est, intuitu tamen circumstantiarum qualitatissimæ personarum magna esse poterit.

### §. XXXIV.

Inter abusivam Transmissionem Actorum hæc quoque, quæ ad Facultates atque Scabinatus nimis remotiores fit, est referenda. Sicut enim Carolus V. in causis criminalibus *Art. 219.* in verbis: bey denen nächsten hohen Schulen, Städten, Communen oder andern Rechts-Verständigen, da sie den Unterricht mit den wenigsten Kosten zu erlangen vermeynen, Rath zu suchen schuldig sey, &c. distincte, ne ad Collegia nimis remotiora, magnis partium sumtibus, transmittantur acta prohibuit; Ita, ut idem in aliis causis Civilibus obseretur, identitas fere rationis monstrat; quare enim per plura expedientum, quod per pauca & in Compendio fieri potest? Ut plurimum ejusmodi remotiora collegia ad transmittendum judici designantur, ut saltem istius, qui causa propriæ non fidit, processus proteletur. Quemadmodum ergo ad remotiora ejusmodi Collegia nunquam transmissio decernenda, nisi justa contra proximiiora adsit protestandi Causa; Ita ejusmodi parti Collegiunt nimis remotum ad decidendum designanti refusio & prænumeratio sumtuum superflorum haud inique injungitur.

### §. XXXV.

Insignis pariter Transmissionis abusus exinde conspicitur, quando judex Transmissionem Actorum in ejusmodi causis decernit, quarum decisio ex mero Consuetudinario jure vel observantia atque stylo Curia istius loci, ubi sunt ventilata, dependet, præsertim si de ejusmodi

consuetudinario iure vel observantiâ, stylorum Curiarum ex actis sufficienter non constat: sumtus & tempora frustra sic pariter impenduntur, nec transmissionis finis debito modo obtinetur.

### §. XXXVI.

Sicut autem propter abusum rei, istius usus nunquam tollendus, quin potius abusus ipse, quantum fieri potest, coercendus, id quod cum reliquorum vitiorum emendatione ad summorum imperantium, tanquam supremorum Justitiae Praesidium curam ac potestatem pertinet, *Mev. P. V. Det. 358.* Ita ejusmodi Transmissionis abusum Sacratissimus ac Eminentissimus Legislator Moguntinus in Civitatis sua Erfurthenis Dicasteriis per Clementissimum speciale Rescriptum supra allegatum de dato Maynâ, den 19. Decembris, Annâ 1705. ita egregie emendavit, ut non nisi causa sufficienti apud Illustrissimum Dominum Pro-Principem specificice in scriptis alleganda partibus Transmissione concedi debeat, quod Electorale Rescriptum Coronidis loco majoris illustrationis gratia hic apponere opera ducimus pretrum:

Lotharius Franz, von Gottes Gnaden, Erz-Bischoff zu Maynâ, des h. Römischen Reichs durch Germanien Erz-Canzler und Chur-Fürst, Bischoff zu Bamberg, &c.

Hoch- und Wohlgebohrne/ auch Ehrsame und Hoch-  
gelahrte/ Liebe/ Andächtiger und  
Getreue..

Uns ist mit mehrern gehorsamst referiret worden/ was  
für Inconvenientien und Müssbräuche aus denen bishero  
so

so indifferenter in usi gewesenen Transmisionibus Actorum ad impartialia, bey Unsern Erfurthischen Gerichten nach und nach eingeschlichen und entstanden; Nun seynd Wir zwar nicht gemeinet / solche Transmissiones hinsuro gänslich abzustellen und aufzuheben / hingegen wolten Wir dieselbe gern ad æquitatem limitiret schen: Weilen aber zu dem Ende nicht wohl eine gewisse Regul für künftige Fälle determiniret und statuirt werden kan / so haben Wie Uns dieses Expediens gnädigst gefallen lassen / daß nemlich keine Transmission zugestanden / es habe dann derjenige/ welcher die Transmission verlanget/ bey Unsren jedesmahlis gen dasigen Stadthalter darum per Memoriale angesuchet/ Motiva und Rationes vorgestellet/ und solchemnach die Permission erhalten/ welches Ihr dann also einzurichten und zu invigilieren habt/ daß darauf beständig und unausgesetzt gehalten werde / und Wir verbleiben Euch damit zu Gnaden wohl gewogen. Datum Maynz/ den 19. Decembr. 1705.

Lothar. Franz/ Churfürst/ &c.

Dem Hoch- und Wohlgebohrnen/ auch  
Ehrsamen und Hochgelahrten/ Un-  
sern Stadthalter und Räthen in Un-  
ser Stadt Erfurth/ Lieben/ Andäch-  
tigen und Getreuen.

COR-

## CORROLARE.

*An Magister Postarum, si per Po-  
stam Acta ad Collegium Juridicum  
transportanda sint perdita, ex Recepto.  
Actione teneatur? Neg.*

